

1747

CODICES

1748

glorum, de quodam, in regione northymbriorum que vocatur in cuningrum, per modum Tundali extra corpus infernum et coelum lustrante, et, quae vidisset, deinceps Emgilo monacho et presbytero referente.

II. fol. 81. p. 2. Incipit prologus in librum de apibus quem bonum uniuersale uocant. Thomam Cantipratanum O. P. Brabantinum autorem novimus et Apiarium hunc illius, inscriptum Humberto generali Ordinis sui magistro jam utroque Vol. retulimus. Exemplar praesens collatum cum Edit. Duacena Colvenerii 1597. 8. in II. quidem Libros divisum est, qui tamen Capitum numero dissident; prior enim non XXV. sed XXVI. posterior non LVII. sed LXI. numerat, Textu tamen utrobique integro.

III. fol. 173. Incipit prologus in excerptum Dyalogi Cesarij. Decepit Librarios hujus Prologi initium: Colligite fragmenta ne pereant &c. Hinc arbitrati sunt, haberi hic e magno Caesarii Monachi Cisterc. Vallis S. Petri vulgo Heisterbacensis Opere dialogico XII. Distinctionibus constante non nisi Excerptum, cum tamen integrum adsit, si Prologum demas, qui nobis ibi finitur: Et quia continencia huius dyalogi satis miraculosa est, nomen ei indatur dyalogus miraculorum; in Tisserii autem Bibliotheca Cisterc. T. II. p. 2. ulterius procurrit ordinis Distinctionum rationem reddendo. Multa in his Distinctionibus incredibilia et absone legi, fatentur E-

ditores ipsi, Autor vero in Prologo ita viam sibi praemunivit: Testis est michi deus, nec unum capitulum quidem in hoc dyalogo scripsisse (Edita recte finxisse) etsi aliqua forte aliter sunt gesta quam a me scripta, magis videtur hijs imputandum, a quibus sunt relata. Certe magis; interim istud a credulitatis vitio Caesarium non purgat. Nomen suum ille, uti Cantipratanus συγγεγραφος, reticuit; innuit tamen, e primis VI. priorum Distinctionum literis illud erui posse, et en e combinatis illis CESARI.

DCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3348

XII. Folior. 158. 12. eleganter scriptus manu, ut Scheda inserta testatur, Luitboldi pluries memorati Coenobitae Lacus Lunae vulgo Monsee, et rubricis distinctus Asceticus est primumque offert Tractationem de Humilitate, Obedientia et Timore Caritatis προδοξου ad novos Religiosos directam, quae incipit: Quia humilitas est genitrix uirtutum, et hominis humilitas non ab homine, sed desursum est, ab eius humilitate incipiamus, qui ait: Discite a me &c. Si Luitboldus scriptor est, non est autor; non enim scripsisset fol. 25. p. 2. nititur homo ad plantationis fraudulentem culmen attingere pro praelationis.

Fol. 45. p. 2. Sequitur Epistola ad quasdam sacras Virgines, Karissimis in christo sororibus Fr. L. aut G. aut etiam B. ita difficulter statuas. Aliquando uobis loquens

1749

A S C E T I C I.

1750

quens & scribens formam & suggesti uobis — uerba & sensum orationum, quas ad deum mitteretis &c. his vero Literis ad magnam fidem Centurionis evangelici exemplo informat. Latine doctas fuisse oportet has Virgines, et, ut puto, *Admontenses* in *Styria*, de quibus infra.

Fol. 56. Incipit Defloratio SS. Patrum varii argumenti, et quidem ab *Johanne Chryf.* de Penitentia: *Dilectissimi, una nobiscum omnes suscipite in precordiis uestris misericordiam domini nostri dicentis: Penitentiam agite &c.* Multiplicis lectionis fuisse Coenobitam hunc liquet, ita undique pias et memorabiles Antiquorum sententias congeffit. Intercurrunt tamen etiam *fol. 135* et *150.* binae Epistolae. Prior incipit: *Rogas et rogando cogis filia in christo karissima, ut quoniam sororibus admontensibus aliqua scripsi de illa iustificatione dei, qua dicitur in sermonibus suis iustificari iuxta illud, ut iustificeris in sermonibus tuis, etiam tibi aliquid scribam de illa dei uictoria, de qua deo dicitur, & uincas, cum iudicaueris.* Hunc igitur locum praecclare exponit. Altera incipit: *Karissimis in christo sororibus admontensibus Fr. N. Deuotam orationem et perpetuam in christo dilectionem. Focundissimis uestris inquisitionibus non potui ad plenum satisfacere coartatus eundi festinatione &c.* et est illa, ad quam praecedens provocat. De Parthenone *Admontensi* legi meren-

tur, quae habet *Irimbertus* loci Abbas a. 1177. defunctus in *Narratione de Incendio* sui Coenobii T. VIII. *Biblioth. Ascet.* solertissimi *Bern. Pezii* p. 455. ubi, ne dubites Epistolas latinas a Virginitibus illis intellectas fuisse, §. XIV. dicitur: *Valde quippe sunt litteratae, et in scientia sacrae scripturae mirabiliter exercitatae.*

DCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 646 XV. Folior. 114. 12. luculente et probe perscriptus, rubricisque distinctus plura pia *Thomae Kempensis* continet Opuscula, quorum Seriem collatam cum Editione *Opp. omn. Coloniae 1728.* 4. hic exhibeo. *Deuotus libellus Thome kempis de disciplina claustrali.* Praeuius *Capp. Elencho* incipit: *Apprehendite disciplinam &c.* et habetur *Edit. cit. T. II. p. 131.*

Fol. 51. p. 2. Incipit libellus spiritualis exercicij de feruida exhortatione ad virtutes. Ita: *Renouamini autem spiritu &c. Exercitia spiritualia* inscripsit *Henr. Sommalus* edit. cit. T. II. p. 198. Praeunt etiam hic Capita.

Fol. 74. De recognitione propria fragilitatis. Ita: *Cognoui domine quia equitas &c.* ut T. cit. p. 243. Praeunt Capita.

Fol. 88. De mortificata vita pro cristo. Initium: *Gloriosus apostolus paulus &c.* T. cit. p. 270. inscribitur: *De mortificatione sui ipsius.*

Rr 3

Fol.